



**ELTE BTK ÓKORTUDOMÁNYI
INTÉZET
LATIN NYELV ÉS IRODALOM TANSZÉK**

**ARPINÓI NEMZETKÖZI CICERO-
VERSENY
HAZAI VÁLOGATÓJA**



Ott van a hazám, ahol jól megy a sorom

(Cicero, Tusc. disp. 5, 37, 108-109)

Postremo ad omnes casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quae sequuntur in vita, ut, quocumque haec loco suppeditetur, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucris vox accommodari potest:

Patria est, ubicumque est bene.

Socrates quidem cum rogaretur, cuiatem se esse diceret, 'mundanum' inquit; totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Quid? Titus Albucius nonne animo aequissimo Athenis exul philosophabatur? Cui tamen illud ipsum non accidisset, si in re publica quiescens Epicuri legibus paruisset. Qui enim beatior Epicurus, quod in patria vivebat, quam, quod Athenis, Metrodorus? Aut Plato Xenocratem vincebat aut Polemo Arcesilam, quo esset beatior? Quanti vero ista civitas aestimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur? Damaratus quidem, Tarquinii nostri regis pater, tyrannum Cypselum quod ferre non poterat, fugit Tarquinius Corintho et ibi suas fortunas constituit ac liberos procreavit. Num stulte anteposuit exilii libertatem domesticae servituti?